

# Epistolae de negotio irenico

Autor(en): **Duraeus, Joannes / Breitinger, J. Jacob**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 7

PDF erstellt am: **21.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394610>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

---

# EPISTOLÆ

de

(\*) Negotio Irenico

Clariss. Viri J. DURÆI.

---

Reverendo in Christo viro & fratri dilecto,  
 D. JO. JACOBO BREITINGERO,  
*Ecclesiæ Tigurinæ pastori fidelissimo.*

**N**ihil afferam, Clarissime atque Doctissime  
 Vir & frater in Christo Reverende, quo  
 excusam hanc parrhesiam, qua te com-  
 pello. Fretus enim tua humanitate & pietate id fa-  
 cio, neque mihi dubium est, quin tibi acceptum  
 hoc fuerit nuncium, quod affero, atque optatissi-  
 mum

F f 5

mum

---

(\*) Quis qualisve fuerit J. DURÆUS, quam incre-  
 dibili arserit desiderio Protestantium disensum compo-  
 nendi, quam difficilia susceperit eum in finem itinera;  
 quot obstacula passim in hoc negotio invenerit &c. cum  
 Eruditis omnibus nota sint, non opus est ut pluribus heic  
 loci de eo agam. Constat insuper Duræum hunc, quem  
 Nobilissimus STUKIUS, Theologus Tigurinus Clarissimus,  
 Sæculi sui Bucerum appellavit, de pacificatione illa sacra  
 rite fuscipienda, & si pote id fieri potuisset, ad felicem  
 exitum perducenda, sæpissime cum Ecclesiis Reformatis  
 Helveticis contulisse. Tot extant in privatis & publicis  
 Bibliothecis Tigurinis epistolæ ab Eo & ad Eum de hoc ne-  
 gotio datæ: tot ad manus sunt Virorum doctorum de eo-  
 dem argumento consilia & judicia: tot denique reperiun-



mum postulatam, non meum, sed potius Ecclesiarum Dei & Theologorum in iis præcipuorum, quorum sensum ac votum in hac causa patefacio. Horum nomine a Reverenda Dignitate tua contendendo per communionem Spiritus JESU CHRISTI, ut velis hanc causam diligenter fratribus com-

---

tur deliberationes in publicis Comitibus de re gravissima habitæ, ut integra de conatibus illis irenicis in Helvetia susceptis edi possent volumina. Hinc sæpe optavi, ut Vir aliquis doctus, præcipua, quæ ad hoc negotium pertinent, ex monumentis illis colligeret, servatoque temporis ordine cum erudito orbe communicaret. Ipsemet ego non semel amore pacis inductus, ad laborem ejusmodi suscipiendum animum adjeci: sed varia quibus distringor negotia, morbi que quibus non raro infestor, impediverunt hætenus, quo minus Operi admoverem manus. Negotium tamen hoc esset, Viro docto pio & veri amante dignissimum. Non solum enim ad historiam ecclesiasticam illius temporis, quo inter Helvetios versatus est Duræus, illustrandam, multum ejusmodi labor conferret; sed ex eo etiam manifestum fieret, quam propenso semper Helvetii erga dissentientes fratres Lutheranos fuerint animo, quamque enixe id egerint, ut opus hoc desideratissimum quantum possent promoverent. Hinc etiamnum fieri solet, ut singulis diebus dominicis Tiguri in publicis precibus Deum oremus, ut animos utriusque partis ad pacem illam ineundam flectere velit. Auctor dissertationis de Joh. DURÆO pacificatore Celeberrimo habitæ sub præsidio Venerandi MOSHEMII, haud obscure significat, Helvetios Theologos attentam mentem, animisque ad pacem inclinatis valde, consilia Duræi, modumque has controversias tractandi, easdemque componendi expendisse. Auctor pag. 56 ita loquitur: *Anno MDCLXII ad Helvetios commeabat Duræus & Tiguri sedem figebat. Neque hos valde morosos & difficiles inveniebat.* Et pa-



commendare & promovere auctoritate tua, ne vos soli in tanta causa juvanda deesse afflictis atque opem vestram expectantibus videamini. Scitis in die conflictus Jehovæ adversus fortes maledictum fuisse Merozo ab angelo Domini, quod ejus incolæ non advenissent ad auxilium Jehovæ. Absit, ut

---

gina 41. & 42. inquit : *Principes salutabantur Tigurini Theologi, qui quatuor epistolis mense Julio datis multa cum amoris & benevolentiae testificatione propositum modum agendi & media approbant & recipiebant: & postquam narrasset, Duræum ad cæteras Ecclesias Reformatas Helveticas profectum, ita pergit: Cognitis & collectis Ecclesiarum sententiis primum universa Ecclesia Helvetica die XV. Aprilis, JACOBI HULDRICI Antistitis Tigurini, calamo, deinde Patres Helvetorum conscripti A. MDCLV d. XXI Aprilis perhumaniter respondebant, consilio applaudebant, & operam suam ad promovendum pacis negotium liberaliter promittebant. His promissis non contenti Proceres Helvetiorum non contemenda pecuniæ summa, CROMWELLI ad Exemplum, eum instruebant, quo facilius destinata Itinera obire posset. Epistolæ, quarum mentionem facit Auctor, legi possunt in Timanni Gessellii Med. D. Historia Sacra & Ecclesiastica, pag. 766. extat Tigurinorum Judicium de Reverendissimi D. Duræi scopo: pag. 767. exhibetur uberior Scopi declaratio: pag. 770. reperitur Declaratio Ecclesiarum & Academiæ Helvetiæ Reformatæ: pag. 773. reperias declarationem Amplissimorum Helvetiæ Reformatæ Magistratum super negotio pacificatorio Rev. & Cl. D. Duræi. Epistolæ hæ omnes lectu sunt dignissimæ. Utrum vero Auctor Commentationis bonam, an in malam partem interpretatus sit bene-*



ut de vestro Zelo tale quid suspicer, sed hoc nobis omnibus exemplum propositum esse intelligo ad diligentiam majorem excitandam, ne segnescentibus similes occasionem rei bene gerendæ cum populo Dei amittamus. Hæc vero occasio qualis quantaque sit, vos ipsi ex rerum circumstantiis in  
epi-

---

volum Helvetiorum Theologorum, erga negotium Duræi adfectum, hic non quaram. Ex universa Disertat. patet, Eum neque Duræo, neque ipsius Instituto favisse. Et quantum mihi cognitum est, ut ante hæc tempora, sic ab eo cumprimis, quo negotia hæc Irenica inter Duræum & Helvetios agitata sunt, hi publice omni data occasione ostenderunt, quam sint ad lites illas componendas parati. Inter Duræi epistolas reperiuntur plures ad τον μακαρίην Cl. Heideggerum Theologum Tigurinum datæ: Quantum Is vero ad Schisma illud tollendum conferre allaboraverit, documento esse possunt binæ Eius dissertationes de *Concordia Protestantium*, quæ non solum inter dissertationes ipsius selectas reperiuntur, sed & in forma, quam appellant 8. Amstelodami Typis H. Wetstenii excusæ sunt. Quod si forte unus vel alter Theologus, aut V. D. Minister Helvetius, de controversiis, quæ inter Protestantes agitantur, ita scripserit, ut colligi inde posse videatur, eum ad pacem illam exoptatam ineundam non admodum proclivem esse, non tamen propterea id universo Cœtui Reformatarum Ecclesiarum, quæ in Helvetia florent, attribuendum est. Hinc miratus sum Doctissimum continuatorem Hist. Eccl. Heinſianæ parte III continuat: hoc anno editæ pag. 417. scripsisse, Helvetios Reformatos nimis pertinaciter suis opinionibus inhærere & ab Unione inter Protestantes ineunda ita alienos esse. Præterquam enim quod egregia scripta Irenica *Werenfelsii*, *Turretini*, *Heideggeri*, *Huldrici*, aliorumque Helvetiorum de componendo Protestantium disensu notissima sint; Qualis tandem est hæc

epistola omnibus inscripta & scopo consiliorum, ex instrumenti apographo & problematum præfatione poteritis judicare. Neque opus esse existimo addere quicquam in hisce privatis, nisi hoc, ex quo intelligetis, qua ratione responsum ad me mitti velim. Id fieri poterit, si litteræ mihi inscriptæ vel ad Ecclesiæ Gallicæ, quæ Hanoviæ est, pastores mittantur, vel ad mercatorem Anglum, D. Guilielmum Fitzerum, qui Francofurti degit in vico, cui nomen est *der Helligassen*. Si interea tutior & commodior opportunitas vobis obveniat scribendi in Angliam, poteritis ad D. Burlemachi, mercatorem Londinensem ubique terrarum notissimum literas mittere cum inscriptione, quæ illas vel ad me, vel me absente ad D. Thomam Rœ, Equitem auratum, ipsi probe notum, diriget. Quoniam autem incertum mihi est, quamdiu in  
hisce

---

rationatio: Quidam Theologus Bernensis (nam Censores Tigurini, quorum judicio suum librum subjecit Cl. & amicissimus STAPPERUS nihil expungendum esse censuerunt) quædam e Mscto Stapferi eliminanda esse censuit; Ergo Theologi Helvetii omnes mordaciter opinionibus ad religionem quocunque modo spectantibus adherent. De momento autem hujus disensus præstat nihil quam non satis dicere. Ego dudum existimavi, disensum illum facile sine Principum & Synodorum auxilio componi posse, si ad negotium hoc tractandum adhibeantur Theologi vere sapientes, momentorum capitum religionis gnari, & amore pacis incensi. Cæterum hæc epistola Duræi quantum scimus ἀνεκδοτος est. Meminit illius Cl. *Hottingerus* in *Hist. Ref. Helveticæ Tom. III. pag. 1065*. Eam vero debemus humanitati Rev. & doctissimi Viri J. Simleri V. D. M. Classis V. Carolinæ Vicarii dignissimi. J. Z.



hisce partibus morabor, brevi forsan in Britanniam iter facturus, existimo consultius fore, ut literas vestras ad Archiepiscopum & Episcopum scribendas, mittatis prima quaque occasione ad D. præfectum Thomam Røe excellentem atque eximiæ auctoritatis virum, qui me absente illas exhibere poterit iis, quibus inscribentur. Si autem privatam aliquam epistolam mittere velitis per D. Fitzerum, in antecessum facietis rem gratissimam illi, qui est

Dabam Heilbrunnæ  
 $\frac{12}{22}$  Aprilis 1633.

Reverendæ dignitatis vestræ  
 observantissimus in Domino  
 Joannes Duræus.

Reve-

Reverendis & Clarissimis Viris, & in Christo Frat-  
tribus dilectis, Academiae atque Ecclesiae Ti-  
gurinae Professoribus & Pastoribus doctis-  
simis ac fidelissimis, Dominis suis sum-  
me colendis.

Gratia & pax sit vobis a Deo Patre in Domino  
nostro Jesu Christo, per Spiritus Sancti com-  
munionem. Amen.

**E**cclēsiae Dei aedificationem spiritualement, Re-  
verendi Clarissimique Viri, in Christo Pa-  
tres & Fratres dilectissimi, non aliter quam  
per membrorum omnium in ea sanctam inter se  
in charitate conspirationem fieri posse, manifeste  
apparet ex Apostoli verbis ad Ephes. IV. ubi di-  
cit, ex Christo capite totum corpus Ecclesiae  
congruenter coagmentatum, & per omnes sup-  
peditatas commissuras compactum capere incre-  
mentum sibi ipsi conveniens ad sui ipsius extru-  
ctionem. Id autem a duplici causa fieri docet,  
scilicet, per charitatem tanquam instrumentum,  
& ex facultate intus agente in quolibet membro,  
tanquam materia & partibus quae domum Dei  
constituunt. Vivum enim est tabernaculum Do-  
mini, & in illo nos omnes lapides vivi sumus:  
sed vinculum perfectionis, quo inter nos com-  
pacti stamus, atque unum corpus a capite pende-  
mus, charitas est. Haec ab omnibus eandem  
pro se se invicem curam & mutuam sollicitudi-  
nem exigit: Haec nullum membrum praeter alio  
negligit: haec ad opus aedificationis quodlibet  
illorum excusat, & cujusque facultatis mensu-  
ram diversam adhibet. Cujus rei typus extare vi-  
detur



detur in structura Tabernaculi Mosaici, ad quam vocabantur omnes promiscue Israelitæ, ut non solum voluntarias oblationes offerrent, sed etiam (quotquot Deus imbuerat scientia, artisque aliqujus peritia) ut manum operi admoverent, atque ipsam structuram juvarent. Idem nunc fieri necesse est in reparandis tabernaculi Christiani ruinis, cui opellam hanc nostram collocamus. Ex scopo ipso, ex problematum præfatione atque ex instrumenti forma Theologorum chirographis signata res ista clare liquet: neque aliud quicquam hoc loco addendum videtur, nisi brevis narratio, ex qua plenius instituti consilii de re tota, in posterum communi consensu procuranda, rationes intelligetis: Atque iis explicatis fraterne rogabimus pietatem vestram, ut pro Zelo erga domum Dei vestro & præsentis Ecclesiæ afflictissimæ conditione summaque necessitate; vestras in hoc negotio conjunctas operas piorum votis & studiis concedatis.

Jam biennium & amplius elapsum est, ex quo nostrates Britanni fuerunt a Borussis ad cogitationes hasce provocati: Nostri ista respondere voverunt illorum voto, ut & alios simul ad easdem curas secum excitarent. Hoc igitur instrumentum, cujus apographum mitto extare voluerunt in testimonium sui in hac causa studii, & ut pacis evangelicæ studiosos ad consiliorum commercium invitarent. Problemata vero diu antea fuerant concepta inter privatos quosdam & variis exhibita, ut haberent doctiores certa quædam capita rerum, ad quæ omnes suffragia sua & consilia referre, suoque tempore utiliter communi-

municare aliis possent. Eo jam res processit post colloquium Lipsiense (habitum anno 1631 inter Theologos Saxones, Brandenburgicos & Hassos) ut Ecclesiæ Reformatæ omnes, quæ sunt in Palatinatu, Ducatu Bipontino, Hassia, & vicinis locis sub Comitibus Hannovico, Nassovicis, Solmensibus, Isenburgicis, & aliis Wetteravicis, scripserint jussu Magistratus sui ad Archiepiscopum Cantuariensem, Episcopum Londinensem, & Theologos nostros, rogatum, ut in hoc proposito perseverent, & Serenissimum Regem nostrum hortentur, ut in se se Mediatoris munus inter partes diffidentes suscipiat: Atque eo fine cum Lutheranis Principibus, Rege Daniæ, Pro-Rege Sueciæ atque Electore Saxonæ agat, id quod summi capitis & directoris in hoc negotio officium, & res ipsa suadebit: neque dubium est, quin si id fiat, res ex voto piorum effectum sortiatur optatum. Nam & Danus sua sponte moderata consilia capit: publico enim edicto non ita pridem promulgato suis prohibuit, ne pro concione nostros calumniis lacefferent; & de Sueco spes fuit vivo Rege permagna, quæ etiam nondum penitus evanuit: De Saxone vero post colloquium Lipsiense maxima est expectatio. Nam in illo colloquio fundamentum concordiæ non contemnendum jactum est: ibi enim Augustanæ Confessionis capita omnia Theologi percurrerunt, atque in iis doctrinæ utriusque partis consensum talem esse demonstrarunt, ut controversiæ momentum redeat solum ad duo aut tria scholasticæ speculationis capita, de quibus altum præstaret esse silentium, quam curiosam disquisitionem. Si jam hoc facto inter Germanos ipsos



initio accederet, tempore tam opportuno, Ecclesiis laborantibus & publicæ defensionis necessitate conjunctis, intercessio atque mediatio Ecclesiarum exterarum utriusque partis, nihil videtur obstare posse, quo minus per Dei gratiam voto fruamur. Hoc ergo sine Serenissimus Rex Magnæ Britanniæ (quo nullus intervenire mediator potest aptior) per Theologos suos rogandus est, ut id ad Dei gloriam, Evangelique propagationem atque Ecclesiarum ex Pontificiæ persecutionis tyrannide eluctantium incolumitatem facere velit. Facturum autem id certo confidimus, si per eosdem Theologos ipsi constet, non defuturos in tanto negotio reliquos in Ecclesiis Gallicis, Helveticis & Belgicis reformatos Pastores & Doctores, quin sua ipsi consilia communicent, ut res illa fieri possit consentientibus omnium reformatarum Ecclesiarum suffragiis.

Rogamus itaque vos, in Christo Reverendi Fratres, ne per vos stet, quominus id Ipsi testatum esse queat: per reliquos certe non stabit. Scitis autem hanc rem superiori seculo semper ab iis expetitam: aliquoties tentatam: sæpius inceptam fuisse: sed nunquam tot & tantis autoribus; tempore tam opportuno, spe tanta, conatu tam multiplici, tam rei quæsitæ accommodato, votis denique & studiis tam communibus suscepta vel proposita fuit. Rogandi ergo sunt omnes illi, quibus Deus eundem Spiritum, eadem desideria, eosdem affectus inspiravit in Evangelii ministerio, ut inter se quoque conjunctis precibus, viribus & communicato consilio idem opus agere velint in timore Domini, quod commune bonum concernit. Neque alio sine commercium  
pio-

piorum aut inter nostros institutum est, aut inter alios (quos in tuenda Veritate Charitatis Christianæ Spiritus moderatis affectibus imbuit) quæritur, quam ut idonei in hac causa viri talentum sibi a Deo concessum ad publicam ædificationem Ecclesiæ contribuere, & huc conferre velint. Atque ideo fraterni fœderis in hoc conatu fidelem dextram multorum nomine vobis porrigo, atque hoc tantum requiro, ut illi qui se curas istas nobiscum suscipere velle profitentur, ejus rei testimonium aliquod exhibeant, tam iis, qui ad societatis in hoc genere communionem illos invitant, quam iis, qui in re promovenda auctoritatem suam interponent, suggestaque ab universis consilia ad optatum finem legitimis rationibus dirigere tentabunt. Ex quo jam patet, quid a vobis contendam, scilicet, ut tanquam vivi in templo Dei lapides vestrum in structura locum obtineatis, & promissum eximiis Dei servis in Propheta honorem, hac occasione vobis oblatum acceptetis, ut vocari inter alios velitis Instauratores ruinæ, priscarum solitudinum restitutores & desolatæ civitatis renovatores. Quod fiet, si scriptis ad Reverendissimum Archiepiscopum Cantuariensem, Episcopum Londinensem, & Theologos nostros litteris, de communi fratrum consensu piorum manus in opere suscepto roboretis: atque his quidem amœbæam operam suo tempore in Theologici suffragii communicatione promittatis: apud illos vero pro Ecclesiis Germanicis, intercessione vestra procuretis, ut Regi suo tam pium opus de meliori nota commendent, cui pro vestra parte vos non defuturos spondebitis.



Supervacaneum duco, vos pluribus, ut hoc fiat, & non lente fiat, obtestari: Hoc sufficiat, nihil hic proponi, quod fraterna charitas, Ecclesiae necessitas, sanctorum communio, & officii vestri ratio non requirat, & quod non etiam iussi estis a Deo facere vel hoc generali præcepto: *Nempe igitur quæ ad pacem faciunt, sectemur, & quæ ad mutuam ædificationem: Vel illo specialiori: Observemus alii alios, ut nos aucuamus ad bona opera & charitatem.* Item hoc alio: *Exhortamini alii alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus,* Quantus hinc ædificationis fructus ad omnes, quantum piis gaudium, quanta Ecclesiis consolatio, Antichristo confusio & trepidatio & Deo gloria emergat, vobis est facilius cogitare, quam mihi verbis efferre. Atque ideo ne si plura adderem de zeli, pietatis, charitatis & studii in fratres vestri genuina sinceritate viderer dubitare, hic finem facio: Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi ex animo precatus, ut vestris in Evangelio laboribus ex alto clementer benedicat, ne sint inanes in Domino: sed fructus afferant vobis pares laboribus tam verbi & precum, quos ovibus curæ vestræ commissis, quam charitatis non fictæ, quos fratribus in hac sancta communione studiorum impendetis. Valete in Christo Viri & Fratres omni honore mihi colendi. Dabam  $\frac{12}{22}$  Aprilis anno 1633. Heilbrunnæ tempore Comitiorum.

Reverendarum Dignitatum vestrarum  
Observantissimus

Joannes Duræus,  
*Ecclesiastes Scoto - Britannus.*

NOVA